



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XXII. Incitari ab amore Dei animam, ut, quaecunque corpori amica sunt, fugiat, &, quaecunque invisae consecetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

etum congruentem deesset. (Prov. 30.) *Mendicitatem, & divitias nē dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* Sed quoniam in nonnullis horum capitum paupertas afflictationem quoque corporis adjunctam sibi habet, & ad illam, ubi etiam talis est, libenter observandam, præter incitamenta illius propria, multum conferunt, imò & necessaria sunt alia, quæ à mortificationis studio suggeruntur; non parum firmamenti rebus hæctenus dictis adjicient, quæ capite subsequenti dicere aggrediemur.

## CAPUT XXII.

**Incitari ab amore DEI animam, ut, quæcunque corpori amica sunt, fugiat, & quæcunque invisa confectetur.**

**I** divitiarum amor, & possessio, ut vidimus, perfecto DEI amori adversatur; multò id magis de corporearum voluptatum usu, & amore est dicendum. Magis de amore: quia primò naturalis voluptatum appetitus longè est, quàm divitiarum, vehementior,

M m 4

tior,

tior, magisque incitatus, & sensibilis. Unde etiam plus hac obscurare in anima sibi obsequente rationis iubar solet, eamque in objectum suum rapere, atque ibi totam defigere. Secundò: quia ad peccandum plus impellit voluptatum, quam opum externarum cupiditas: tum quatenus juxta modò dicta vehementior, violentiorque est, quamdam mania, ac phrenesis imaginem exhibens, vixque in homine sibi dedito arbitrii libertatem relinquens: tum quatenus inter objecta, ad quæ divitiarum cupiditas fertur, nullum est secundum materiam, & naturam suam vetitam, quales plurimæ ex voluptatibus corporis sunt: tum postremò quatenus alienam rem injustè occupare, aut aliud improbum facinus ex amore habendi committere non semper in promptu cuique hominum est, imò rara sese præbet sic peccandi occasio, & tum quoque supplicii, aut infamiae timor cupiditatem coërcet. At neminem contra reperis, cui assiduè facultas non suppetat, vix quapiam corporis voluptate genium explendi, idque impunè, atque occultè, sine ullo infamiae, nedum pœnæ ab hominibus metu.

2. Atque hinc palàm arguitur, de quo quoque idem esse dicendum: voluptatum

nempe experientiam, & gustum plùs itidem, quàm divitiarum possessionem, divinæ charitati adversari. Cùm enim terrenorum bonorum amor nulla re magis, quàm eorum usu excitari, atque augeri consueverit; fatendum procul dubio est, quorum amor magis sit (prout de corporearum voluptatum amore modò ostensum est) divinæ charitati contrarius, eorum usum pariter magis esse eidem contrarium. Accedit huc, quòd divitiarum possessio, quamvis earundem augendarum cupiditatem foveat, juxta verissimum Horatii dictum: *Crescentem sequitur cura pecuniam, majorumque fames*; non tamen adeò acriter stimulare divites solet ad suam rem fraudibus, & rapinis augendam; quàm licitarum voluptatum gustus eos, qui his fruuntur, ad appetendas, gustandasque etiam illicitas stimulet. Cùm per multos opulentorum hominum aspiciamus vix unquam instigari à dæmone ad alios circumveniendos, & bonis suis spoliandos: imò, quantò opulentiores sunt, tantò esse *cæteris paribus* à nefaria hujusmodi cogitatione, & cupiditate alienos magis: nemo autem unus occurrat, qui largè, effusèque concessis voluptatibus fruens non acri persæpe vitæ cupiditate incitari

ri suum animum sentiat, tantòque difficilior rem harum abstinentiam experiatur, quantò illis amplius se ingurgitat. Denique nemo ibit inficias, delectationes corporis sordidius aliquid, magisque intimum homini esse, quàm sint facultates externæ: ac proinde plùs ab illis per sui gustum, quàm ab his per merum sui dominium nostros animos infici, ac deprimi.

3. Quamobrem sanctos omnes viros, & germanos Evangelii sectatores videmus, quantò DEUM amabant impensius, tantò sensuum oblectamenta magis esse averfatos: quantòque sollicitiores de augenda in se ipsis illius charitate erant, tantò enixiori studio incubuisse, ad cor suum omni horum cupiditate purgandum: níl artium omittentes, quæ ad hujusmodi purgationem adjumento esse possent, sed illâ utentes præcipuè, cujus singularem adversùs pravos quosque affectus efficacitatem suprâ nos demonstravimus: arte nimirum, semper, & in omni vitæ actu contra illorum propensiones tendendi. Ac propterea, quemadmodum appetitus sensibilis naturali instinctu suo fertur ad omne voluptatum, quamvis divina lege interdictarum genus, eodémque omnes corporis incom-

commoditates, molestias, & perpeffiones, etiam ad implendam DEI legem necessarias, vel utiles refugit; sic illi, ut affectum divinæ charitati adeò repugnantem, quantum fieri poterat, in se ipsis extringuerent; studuerunt motu prorsus contrario, quidquid corpori blandiretur, esto licitum, permissumque vitare: & quidquid eidem molestum esset, persequi, etsi nullâ aliâ impellerentur causâ, nisi hac una domesticum suum hostem vexandi, & magis subiectum habendi. Similiter ac Spartanis olim mos erat, (*Athen. L. 14.*) feros quotannis, nè conditionis suæ memoria in eorum animis exolesceret, certo plagarum numero, tametsi nullius culpæ reos, multare. Quo in genere prætereunda silentio non est B. Catharina Genuensis, infensa adeò naturalis sensûs sui hostis, ut si quid aridere ei vidisset, continuò eidem subtraheret; si quid autem horrore esse, veluti ulcerum, & cadaverum faniem; experiri, & degustare nequidquam reluctanter cogeret, terribilissimas ejusmodi sordes protinus ore hauriens, quò illi, quantum poterat, ægre in omnibus faceret. (*In Vit. c. 5. & 8.*)

4. Et hoc sanè est illud *castigare, & redigere in servitutem corpus suum*, quod magnus Gen-

Gen-

Gentium factitabat Apostolus, nè forte reprobis efficeretur. (1. ad Cor. 9.) Hoc illud exhibere corpus suum hostiam viventem, sanctam, DEO placentem, quod Romanis idem commendabat, rite admonens, non conservaturos alioqui interiorem animæ vitam: (c. 8.) *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Hoc illud adversus carnem pugnare, eamque cum perverfis affectionibus suis cruci suffigere, cuius meminit, scribens ad Galatas: (c. 5.) *Spiritu ambulate. & desideria carnis non perficiat. Caro enim concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Hoc denique mortificatio illa, quæ enixè adeò inculcatur ab omnibus sanctioris vitæ magistris: virtus Evangelii alumna, neque admodum Philosophis veteribus cognita: quibus ut satis fuit intrà justæ mediocritatis terminos sensibilem voluptatum appetitionem coërcere: ita visum est, nihil ad hunc finem præter solam temperantiæ virtutem requiri. Sed sua illos fefellit opinio: prædictarum siquidem voluptatum amor, cum vehementissimo naturæ suæ instinctu ad exuperantiam feratur,

nun-

quam potest in medio tam constanter, firmiterque defigi, quin conetur identidem ad veritatis nimietatis extremum transcurrere. Quare, ut extra curam, & metum de eo simus, non ad medium redigendus est, sed ad nihilum: quod Evangelica mortificatio studet efficere, tum omne illi pabulum denegando, tum quidquid averfatur, eum pati cogendo. At contingit non rarò, ut temperantiam lenitatis pœniteat, qua hosti tam infido pepercit, malens illum sibi subiectum habere, quàm è medio funditus tollere: cùm improbus ad fortuitam quamque illecebrosi objecti speciem expergefactus, sui que ingenii monitus, vincula subito excutiat, & ipsi, à qua permisus est vivere, necem studeat inferre: veterum Palæstinæ incolarum similis, quos ab Israëlitis ex Ægypto illuc traductis iussit DEUS ad internecionem deleri: prænuntians, quibus condonata vita esset, superstites in eorum perniciem futuros. (*Numer. 33.*) *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ; qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus.* Usus itaque exigebat, ut contra affectum adeò perduellem, & contineri in officio nescium, præter temperantiam, cuius partes sunt eam moderari, alia quoque ad-

ad-



adderetur virtus severior, quæ non contenta  
 infestam illius vim coërcere, nè tantummodo  
 noceat; ultro etiam internecinum ei bellum  
 inferret, neque cessaret, quamvis debilitatum,  
 atque attritum modis omnibus oppugnare,  
 quoad penitus delevisset, dicens cum Regio  
 Vate: (*Ps. 17.*) *Persequar inimicos meos, & com-  
 prehendam illos, & non convertar, donec deficiant.*  
 Et re ipsa, quanti usûs, quàmque necessaria  
 esset hæc virtus, luculentissimam fidem faci-  
 unt effectus, qui consecuti ex ea sunt. Cum  
 enim superioribus mundi sæculis, quando ni-  
 hil remedii contra immodicam voluptatum  
 cupidinem promiscua hominum consuetudo  
 habebat, præter unicam temperantiæ virtu-  
 tem; paucissimos reperire erat, qui ab huius  
 medio nunquam se abripi ad vitiosæ nimie-  
 tatis latus, & voluptates illicitas sinerent;  
 posteaquam DEI Filius novam mortificatio-  
 nis virtutem promulgavit, inque hominum  
 vitam induxit, innumeri undique occurrunt,  
 qui inter carnis titillationes, atque illecebras  
 integerrimam ab omni vetitarum volupta-  
 tum gustu vitam egerint, tanquam si non ho-  
 mines terreno corpore amicti, sed extra or-  
 mnem materiæ concretionem puri spiritus  
 forent. Usque adeò ad temperanter viven-  
 dum

dum non satis ferè est, solâ temperantiâ esse contentum. *Arma semper in manibus habenda sunt.* Hac enim solùm ratione pax conservatur: (sapienter pronuntiatum à veteri Scriptore est) & , quibus tantum facultatis est, ut aliena bello invadant, facile in sua tventur. (Dion. L. 38.)

5. Præterquam quod corporearum voluptatum amor, etiamsi moderatissimus sit, nè quidquam inconcessi appetat, semper tamen motus animæ est erga objecta vilia, lultulenta, & cum animantibus brutis communia, magnùmque ejusdem impedimentum, nè ad rerum incorporearum contemplationem libere assurgat. Unde humana etiam Philosophia contendebat, eum ab anima, quantum posset, excludere: dicta idcirco à Platone meditatio, exercitiùmque moriendi, quatenus alumnos suos separat, si minùs à consortio, saltèm à cura, & cogitationibus corporis. Quam separationem si necessariam illa existimavit, ad purificandos animos, reddendòsque ità idoneos contemplationi veritatum naturalium; quantò necessariam magis existimare nos debemus ad contemplationem veritatum, quæ naturam omnem longè excedunt? Certè, si nemo in subline

attolli potest, nisi ab imo recedat; neque mens nostra, ut colligit D. Thomas, elevari ad supremum inter sua objecta, hoc est DEUM, poterit, nisi ab inferioribus divellatur, quæ ad terrenum corpus suum pertinent, curis. *Oportet, quòd mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc, ut supremæ rei possit conjungi* ( 2. 2. qu. 81. a. 8. )

6. Quæ cum ita sint, pronum est hinc colligere, quàm devii à recto veritatis tramite abeant, qui externam sensuum afflictationem parvi admodum faciunt, ceu virtutem tyronum tantummodo propriam, nec perfectæ charitati necessariam, ad quam nempe sola requiratur, & sufficiat interior animi puritas: idem opinantes, quod de suis sacrificiis opinabantur veteres Persæ: quos solitos fuisse refert Strabo, ( L. 15. ) quas in Deorum honorem mactaverant victimas, nè minima quidem parte iis relicta, suos in usus totas absumere, quòd dicerent: solâ Deos immolari agni, vel tauri animâ delectari, nullam verò carniū rationem habere. Vera esset, fateor, hæc eorum opinio, si genus humanum pergeret adhuc potiri, quo ante primi parentis noxam potiebatur, absoluto in sensuum appetitus imperio; vel liberum saltē

enique esset, amissam illius possessionem labore, & conatu virtutis sibi rursus asserere. Quemadmodum enim tunc omnes animi motus è nutu rationis penderent; ita hæc per se tantum, & sinè aliis adminiculis sufficeret ad eos omnino prohibendos, qui interturbare possent puritatem animi, & perfectionem charitatis divinæ. Unde etiam D. Thomas docet, homini primævam integritatem retinenti minimè opus futurum fuisse medicinalibus iis virtutibus, quæ per ultroneas corporis afflictationes vitia animi curant: quemadmodum corpori perfecta fruente sanitate nullis uti scamoneis, vel cauteriis, aliisque remediis est opus. (1. 2. qu. 87. a. 7.) *In statu innocentie non oportuisset aliquem ad profectum virtutis inducere per penalia exercitia.* Sed enimvero, cum homines ab integritate felicissimi illius statûs exciderint, veluti nunquam possunt, quantumcunque sancti, & perfecti sint, absolutum adeò obtinere inferioris suæ partis dominium, ut nullos hæc concipiat erga sensuum oblectamenta inordinatos, ac præposteros motus; sic quantumcunque sancti, & perfecti sint, opus habent assiduè laborare, & coniti, ut ejusmodi motus, quantum fieri minimè potest, in animis suis

N n

ex-

excitentur: & consequenter, cum ad eos com-  
primendos nihil magis, quam corporis casti-  
gatio conducat, hac assidue uti opus habent.  
post nostræ depravationem naturæ medica-  
mentum est, si minus sufficiens ad nos in per-  
fectam sanitatem restituendos, necessarium  
saltè, ut minus ægroti, & sanis propiora  
simus.

7. Quorsum igitur quisquam ultra mihi  
objicit, ad divinæ charitatis perfectionem  
consequendam nihil præter cordis puritatem  
requiri? Esto verè id dicatur: si tamen  
que hæc puritas perfectè obtineri potest,  
quamdiu inordinatus corporearum volupta-  
tum appetitus in corde aliquatenus superest,  
neque ad hanc excindendam ullum nos ha-  
bemus in præsentis statu efficacius voluntariæ  
corporis vexatione remedium; fatendum  
procul dubio est, quàm necessaria perfectæ  
charitati cordis puritas sit, tam necessario  
hanc obtinendam voluntariam corporis ve-  
xationem requiri. Quòd verò eadem  
sit virtus gregaria, & rudi tantum vulgo,  
lisque tyronibus relinquenda, sed omnino  
DEI famulis prorsus conveniens; vel unquam  
evinci posset D. Pauli testimonio, & exem-  
plo. Quis enim ignorat, magnum hunc Ge-  
n.

tium Doctorem sedulò incubuisse ad afflictationem sui corporis : neque id ex libero tantum majoris boni studio , sed ex sollicita insuper cura prospiciendi suæ æternæ salutis ? Nempe in promptu sunt verba , queis planissimam fecit sui hujus moris , atque animi fidem : *Ego autem , inquiens , sic curro , non quasi in incertum , sic pugno , non quasi aërem verberans : sed castigo corpus meum , & in servitutem redigo : nè fortè , cum aliis prædicaverim , ipse reprobus efficiar. (1. ad Cor. 9.)* Quid ergo hic dicemus ? Numquid , tantum Apostolum rudem , imperfectum , ac tyronem fuisse ? At , si ille talis fuit , quisnam , rogo , alter veteranus dici , & perfectus merebitur ? An ita egisse , & sensisse , quòd præ demissione animi imperfectum se esse , ac tyronem crediderit ? At si ille ita demisso animo fuit , cur elatiore nos simus , nec potius ipsi quoque pro imperfectis , & tyronibus ad exemplum illius nos habeamus , tractemúsque , etiamsi non minus illo essemus veterani , & perfecti ? Utcunque se res habeat ; ego certè satius ducam tyronem esse cum Paulo , vase electionis , & Gentium Doctore , quàm emeritus cum neotericis hisce Doctoribus. Ac proinde , quemadmodum Apostolus Thomas nequaquam

posse à se credi verum Christi corpus à jebat, in quo vulnerum à clavis impressorum notas non cerneret: (Joa. 20.) *Nisi videro in manibus ejus fixuras clavorum, &c. non credam;* sic & ipse quamvis potiore jure, & citra omnem incredulitatis notam, germanum esse Christi sectatorem nunquam fatebor, qui stigmata Christi suo in corpore non gerit. *Nisi videro fixuram clavorum, non credam.* Ità, ità planè, *non credam.* Spectrum ille quidem, & phantasma inane spiritualis viri esse poterit: vir esse re ipsa spiritualis non poterit.

8. Ubi etiam declarandum puto, quoniam pacto intelligi oporteat, ut verum sit, quod communiter dicitur, austeritatem in corporis cultu magis convenire hominibus gravium criminum reis, & ad DEUM recens conversis, quàm scelerum puris, & qui potiore aetatis suæ partem in DEI famulatu contriverint. Ità nimirum oportere id intelligi, ut majoribus quidem de causis, non verò ut major etiam à primis, quàm ab alteris usurpanda illa sit. Et plures quidem, majorisque momenti esse causas, cur usurpanda primis debeat, adeò planum per se est, ac nemini dubium, ut peculiari probatione non egeat. Quòd verò non major quoque illudem,

dem quàm secundis conveniat, probatur. Quia cuilibet ad summum, & perfectissimum DEI amorem nitenti omittendum níl est, quo illi gratificaturum magis se videat. Jam verò extra omnem controversiam est, quantò unusquisque, seu nocens, seu insons, seu tyro, seu veteranus, majori severitate, intrá justæ moderationis limites suum corpus castigat, tantò eundem gratificari DEO magis. Omnes igitur, quibus quàm perfectissimè Deum amare, eique quàm maximè placere cordi est, debent, cujuscunque ii tandem conditionis, atque ordinis sint, summa, quæ moderationis fines non excedat, severitate adversus sua corpora uti: nec proinde majoris, quàm alteris hoc in genere severitas convenit, sed omnibus par secundum rationis mensuram, hoc est summa, quam propriæ unicuique vires permittunt: licet cum impares sæpe sint unius, atque alterius hominis vires, impar quoque esse, quantum ad materiam, summa unius, & summa alterius severitas soleat, non quia multa unus atrociora, nullúmque alter grave crimen patravit, sed quia ille prævalidas, hic infirmas sortitus est corporis vires. Quapropter si duos inter DEI famulos, alterum illibatæ omnino



innocentiæ, alterum verò è turpibus flagitiis  
nuper emersum, prior viribus polleat, ad  
totum quadraginta dierum jejunium me-  
ro pane, & frigida tolerandum idoneis;  
alter autem vix eidem communi ritu obser-  
vando per valetudinis imbecillitatem par sit;  
debet ille, si placere DEO pro viribus con-  
pit, nec moderatores sui abnuunt, prædicta  
abstinentiæ rigore corpus affligere; hic verò  
ordinaria, & mitiori ratione jejunium cole-  
re: cujus austeritas, etiamsi secundum mate-  
riam minor, quia tamen in eo secundum pro-  
portionem, & rationis mensuram alterius  
austeritati par erit. Unum id superest, ut  
pleniorem conclusionis nostræ evidentiam  
quod paulò antè tanquam illius fundamen-  
tum posuimus, si cui per se manifestum factum  
non esset, distinctè probeamus: nempe, quan-  
tò unusquisque vel innocentissimorum, vel  
perfectissimorum hominum majori severitate  
intrà justæ moderationis limites suum cor-  
pus castigat, tantò eundem gratificari DEO  
magis. Neque ejus probatio ullius laboris  
negotiique est, quippe nihil aliud requiret  
nisi ut duo hæc statuatur: primò omnem  
actum honestum DEO gratum esse, tantoque  
gratiorem, quantò honestus est magis: secundo

dō , severitatem, qua homo ex divini amoris  
 impulsu moderatè suum corpus castigat , ho-  
 nestam semper esse , tantòque honestiorem ,  
 quantò intrà legitimæ moderationis fines est  
 major. Quæ principia quemadmodum ne-  
 mo diffiteri potest, sic , quicumque illa admit-  
 tit , fateatur simul necesse est , quantò unus-  
 quisque acrius salva prudenti moderatione  
 suum corpus castigat , tantò rem acceptiorem  
 DEO facere. Idémque nova , & altiori ra-  
 tione confirmari potest. Quia nequit non ho-  
 nestum , rationique , & virtuti apprime con-  
 sentaneum esse, quòd habiliorem se homo ad  
 DEUM perfectè amandum effingere studeat.  
 Atqui tantò id unusquisque præstat magis ,  
 quantò est in suum corpus severior : cum sic  
 tantò magis debilitatum, atque extinctum eat  
 præposterum amorem sui corporis , divini  
 nempe impedimentum , & hostem amoris.  
 Ergo manifestè colligitur , quantò unusquis-  
 que inclementiùs , justam tamen moderatio-  
 nem non prætergrediens , cum suo corpore  
 agit ; tantò eundem magis ex virtute operari ,  
 & consequenter DEO impensius placere.

9. Neque mihi opponatur, in perfectis,  
 consummatæque sanctimonix viris extinctū  
 jam omnino esse amorem sui corporis : ac

proinde modò allatam de corporearum afflictationum honestate rationem in iis profusus deficere: utpote quibus, uti ad amoris humani extirpationem supervacuæ sunt, sic ad divini introductionem, atque augmentum nil profunt. Vanissima, & rationi, experientiaque palàm repugnans hujusmodi oppositio est. Si enim ad eximiam sanctitatem, & vivendi perfectionem profecisse idem foret, atque omnem exuisse amorem sui corporis, sequeretur hinc, viros sanctos, perfectosque nullius unquam seu corporeæ voluptatis appetitum, seu perpeffionis horrorem sensuros: neque aut ulla tam illecebrosa peccandi occasio esset, quæ illorum animos tenuissimæ delectationis sensu titillaret, ac mortis genus tam atrox, quod coram proposito, & illico subeundum, vel minimæ aversationis, ac formidinis motum in eis excitaret. Quæ naturalium affectionum vacuitas, cum procul dubio humanæ conditionis vires excedat, fatendum omnino est, quamdiu in mortali corpore vivimus, tandiu corporis quoque amorem in nostris animis vivere: qui & ad multa DEO displicentia nos incitat, & à multis aliis eidem gratis retinet: quemque cum omnino extinguere nunquam

possimus, debemus saltè, quantum in nobis est, magis, ac magis diminutuere, fugiendo quæcunque ille appetit, & consectando, quæcunque averfatur: ut nimirum debilitatis per hujusmodi exercitationem illius contrariis instinctibus expeditiores, liberioresque evadamus ad Deum perfectè amandum: hoc est ad repudianda faciliùs, & pleniorum affectu, quæcunque corporis oblectamenta ipse improbat, & ad subeundos minorem cum labore, & renifu, quoscunque cruciatus velit pro sua gloria à nobis subiri. Quem fructum ex producta per plures annos sui donandi, & vincendi assuetudine perceptum sibi fuisse ostendit egregius ille primò eremicultor, deinde Christi Martyr Paphnutius: cum videns proposita sibi ob oculos à tyranno varia, & terrificam subeundorum protinus, nò idolis sacrificaret, cruciatuum instrumenta; securo, & ridenti ore jussit hominem alios quærere, quos eo sævitæ apparatu terret. Suum quippe corpus ex longo, & perpetuo asperrima quæque tolerandi usu, parùm jam metuere sive jam parata, seu quæcunque alia, & immaniora excogitari possent supplicia. (*Plat. de bono Stat. Rel. L. 2. c. 12.*)  
 Hoc igitur summum, totùmque est, quod ex

continua exercitatione bellandi cum suo corpore sancti viri assequuntur: nempe ut perfacile, & sine magni conatus indigentia, quandoque usus venerit, majoris divini obsequii rationes contrariis quibusque appetitibus sensibilibus propensionibus, & reluctationibus præferant. Nam ad consequendum præterea, ut nullæ jam in animo id genus propensiones, ac reluctationes supersint, sanctum esse aliquem, perfectumque non sufficit, sed cælitum quoque esse, opus foret. Velimus, fieri non potest, quin juxta certissimum Jobi oraculum: (c. 7.) *Militia sit viæ hominis super terram.* Nimium quàm abhorrens à terreni corporis natura est, deorsum non niti: & prius caro esse desinet carior, quàm contrarios spiritui motus habere.

10. Nullus itaque ambigendi jam superest locus, quin, cum innatus corporis amor divini amoris perfectionem maximopere impedit; quisquis hanc sibi quasi scopum, & finem votorum proposuit, ad animum illum expurgandum totis conati viribus debeat, cum cæteras quasque artes hujus purgationis causâ adhibendo, tum illam potissimum quam præcipui usus esse jam vidimus, fugam nempe omnium, quæ arident, electionemque

que omnium, quæ displicent sensibus. Persuasissimum habens, quantò acriùs contra amorem corporis hunc in modum pugnaverit, tantò illum penitiùs è corde abacturum: quantòque magis vacuus eo fuerit, tantò capaciorem DEI fore, tantò ad illum toto peccatore amandum, & intimè illi adhærendum habilem magis. Atque hæc est ratio, quæ veluti ad cætera omnia spiritualis vitæ exercitia, ità ad hoc quoque divexandi corporis studium incitare cumprimis nos debet: excellentissima sanè ratio, utpote quæ à suprema inter Christianas virtutes, divina nimirum charitate desumitur: quaque utentes assequemur, ut quodlibet è nostris spiritualibus holocaustis cælesti, & divinitus misso igne absumatur: prout accidisse in veteri Aaronis sacrificio legimus, quando *egressus ignis à Domino devoravit holocaustum, & adipem, qui erant super altari.* (Levit 9.)

II. Neque hanc solam, sed plures alias, validissimásque rationes divinus nobis amor suppeditat, cur fortiter, animoséque hoc suscipiamus contra innatas corporis appetitiones domesticum bellum. Nam quæ, rogo, ab anima DEUM dignè amante existimari potest intolerabilior calamitas, quàm ab  
opta-

optatissimo dilecti sui Domini aspectu vel ad breve tempus excludi? Nulla profectò, ut & demonstratum jam alibi est, & vel ex uno hoc argumento planissimè intelligi potest, quia scilicet cum hujusmodi anima incomparabiliter plùs se ipsa DEUM amet, fieri non potest, quin multò duriozem patiatur violentiam, dum à DEO disjungi se videt, quam pateretur, si miro quopiam, & inexplicabili modo à semet ipsa se videret disjunctam. Atqui compertissimum est, non posse hominem neque vitâ functum ad beatam DEI visionem priùs pervenire, quàm pro culpis in vita commissis divinæ justitiæ ad plenum satisfecerit; neque huic meliùs satisfacere, quàm si eas toto vitæ tempore voluntariis sui afflictationibus punire, & expiare contendat. Quonam igitur pacto anima, quæ flagrantissimo DEI amore tota æstuat, nihilque plùs anhelat, ac fitit, quàm claro illius intuitu suum amore explere; non alacri gressu eam sibi ineundam, & decurrendam putabit viam, qua expeditissimè inter omnes reliquas ad suspiratam votorum suorum metam potest pertingere? Aut quomodo ad exuendam omnino horrore, imò etiam suavem reddendam quantamcunque vivendi austeritatem, non

fatis illi erit, intrà se dicere: hæc voluptas, quam meo corpori subtrahò, & hæc pœna, quam eidem infligo, ad optatissimam DEI visionem celerius degustandam conducit. Quantò durius animadverto in meum corpus, tantò minùs mihi prorogabitur infelix exilium à dilecto ejus vultu. Eja, age, vincatur omnis difficultas, exorbeatur omnis molestia, toleretur quævis asperitas. Nul- lum existimari earum potest pretium, quo anticipata emitur infinitæ illius pulchritudi- nis visio. O cogitationes vel timidissimis cordibus robore implendis pares! & inter quas nullus jam superest locus meticulosæ il- li providentiæ mitius agendi cum corpore, nè præmatura, & suum ante diem illi mors afferatur: perinde quasi mortis præmaturi- tas in dispendii potius, quàm lucri loco esse homini possit, non aliam agnoscenti vitam, præter DEUM, neque mortem aliam, nisi disjunctionem à DEO. *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*, ajebat Apostolus. (*Ad Phi- lip. 1.*)

12. Quid? quod corporis vexandi artes non modò per suam satisfaciendi præ delictis virtutem idoneos nos reddunt, ut citius admittamur ad DEUM in cælesti sua regia in-  
tu-



tuendum ; sed per suam quoque merendi præmii vim ampliolem nobis obtinent tum claritatis eum videndi, tum fervoris amandi eum proventum. Etenim, cum certissimum sit, non posse hominem ex divini amoris instinctu severius castigare suum corpus in terris, quin majorem sibi beatitudinem mereatur in cælo, neque aut majoris beatitudinis meritum habere, quin perfectius DEUM videat, aut perfectius eum videre, quin ardentiori ejusdem amore inflammetur ; æquè certum itèrè remanet, quantò unusquisque majori adversus suum corpus severitate in præsentia vita utitur, tantò per hujus meritum perfectiorem DEI visionem, amorèmq; in futura æternitate obtenturum. Quod quàm acre incitamentum ad majorem in sui corporis cultu austeritatem cuivis animæ sit, quàm summum illud bonum intimè amat, nemo est, quin perspiciat : quemadmodum nemo etiam non perspicit, quàm proprium infinitam pulchritudinem, & bonitatem amanti sit, nihil se esse aliud, quàm oculos, cor, & velle, ad eam meliùs intuendam, & vehementiùs amandam.

13. Postremò, qui aliquem ut se ipsum diligit, non potest eum injuriâ affectum vi-

dere, quin naturaliter irâ exardescat, studio-  
que ultionis contra authorem injuriæ, prout  
exemplo suo fidem facit Junius Brutus, qui,  
ut inita adversus Romanam libertatem con-  
silia vindicaret, nè suorum quidem filiorum  
sanguini, & vitæ pepercit, in hostium nu-  
mero eos habens, cum dilectæ patriæ infide-  
les videret. Unde promptum est cuivis col-  
ligere, num anima divino amore succensa  
indulgenter, ac delicatè habere corpus suum  
possit, à quo sædæ voluptatis causâ toties, in-  
dignisque adeò modis offensum fuisse cæle-  
stem suum Dominum novit: an potiùs ob ta-  
lem perfidiam justissima adversus illud indi-  
gnatione commoveri debeat, pro capitali ho-  
ste ipsum habens, & quascunque gravissimas  
potest ab eo pœnas reposcens. Quid enim?  
Egone ut amicè cum eo agam, qui cum meo  
Conditore, atque Domino iniquè adeò se-  
gessit? Ut levicula quavis animadversione il-  
lum punire contentus sim, qui gravissimis  
toties contumeliis supremam, infinitamque  
illam majestatem violare ausus est? Non ità  
profectò, non ità. Licèt infandum caput sa-  
crilegam temeritatem, si non iis, quæ mere-  
tur, suppliciis; (quidquid enim minus infi-  
nito, minus etiam illius merito est) at iis fal-  
tè

tèm, quæ ipsi infligi à me poterunt. Ut vilita frueretur voluptate, debitum omne Numini obsequium impudentissimè proculcavit? Nullo jam deinceps etiam permissæ voluptatis gustu fruetur. Parùm est: inebriabitur felle, & absynthio: quidquid maxime horret, experiri cogetur: neque alia vive de causa, nisi ut moriatur diutiùs. Volo, suis discat impensis, quàm altè commovear injuriis ei illatis, quem ultra me amo, quantæque mihi curæ fit, ut, qui illum offendit, quàm plenissimè ei satisfaciat.

### CAPUT XXIII.

Qualis, & quanta esse debeat hominis, qui perfectè DEUM diligit, adversùs suum corpus severitas.



Distinctiùs explicandum jam est, quænam sit materia, ubi potest, quique modus, juxta quem debet hæc corporis afflictatio exceri, quam ad DEUM perfectè diligendum usque ad eò necessariam esse homini vidimus, & ad ejus praxim tot, tamque validis ratio-